Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
0053
0051
0057
0047
0062
0042
0102
0002
0152
0552
1052
Ende
Anfang

contrarios ventos, vel propter ventorum **(198 A)** absentiam, gubernatores currebant per galeam, et omnia reservacula peregrinorum perquirebant, et singulos angulos lustrabant, quaerentes aquam Jordanis, cui omne diffortunium adscribebant, et si non invenerunt una vice, alia vice, durante impedimento navigationis, curiosius perquirebant et minabantur, quod apud quemcunque de hac aqua repertum fuerit, ipsum cum suis rebus in mare mittere vellent.

In mea prima peregrinatione sustinuimus multa et saepe ignominiose visitati fuimus per marinarios propter aquam illam. Quid ergo veritatis habeat, non immerito venit in dubium, utrum aqua Jordanis reservata in vasculo, et illata navi maritimae valida sit ipsam navigationem impedire et maris inquietudinem concitare, vel ventos secundos a suo flatu cohibere, vel aliquam immutationem aeris aut maris causare, sicut inculpant eam rectores navium? Pro quo sciendum, quod audivi a veridico et docto viro, qui vidit Romae bullam Papae sub plumbo, in qua sub anathemate Papa prohibet, ne quis de aqua Jordanis ad partes transmarinas portet. Dicunt etiam, quod domini Veneti habeant prohibitionem, ne aliquem transducant ad nostram partem maris cum aqua praedicta, et quod frequenter venientes visitent in navibus et repertam aquam effundant. Si quis ergo dicere vult, quod propter censuras Papae fiat impeditio navigationis, ille non aquam, sed censuras impedire navigationem [asserit]. Et si censurae Papae navigationem impediunt, miraculose fit propter excommunicatos, et non propter aquam, sicut saepe legimus excommunicatos pluribus infortuniis expositos, ut quod talium corpora sepulta extra ecclesiam sunt nocte projecta et bestiis devoranda tradita. Sic etiam propheta Jonas inobediens. Tempestas fuit valida excitata, et eo ejecto cessavit tempestas, ut habetur Jonae primo. Hoc tamen non omnibus excommunicatis contingit, sed illis duntaxat, quos Deus miraculo prodere vult. Quod non omnibus contingit, patet de illis peregrinis, qui sine licentia Papae naves ascendunt, et in excommunicatione usque in Jerusalem pacifice veniunt. Ex his nunc dubium novum oritur: cur Papa prohibeat aquae Jordanis transductionem? Videtur dicendum, quod

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;